

1573



9705.

9708

Ie ne fay rien
sans
Gayeté
(Montaigne, Des livres)

Ex Libris
José Mindlin

Author
Slaperius, Jo.

OMNIVM FERE GENTIVM, nostræq; ætatis Nationum, Habitus & Effigies.

¶ *In eosdem Ioannis Sluperij Herzelensis Epigrammata.*

Adiecta ad singulas Icones Gallica Tetrasticha.

V. Engelshoven. 921..

ANTVERPIÆ,
Apud Ioannem Bellerum,
sub Aquila aurea.

M. D. LXXII.

Cum Priuilegio.

Libellus iſte tractans diuerſas ſpecies Veſtium & Habitu-um diuerſarum Gentium & Nationum, nil cõtinet quod ſit contra fidem Catholicam aut quod pias aures offende-re poſsit. Actum 17. Octob. Anno 1569.

Ita fateor, Philippus de Almaraz Canonicus Antuerpien.

Egregio pietate ac eruditione viro D. Ioanni Wyntero, Senatui Bergensis Territorij à Secretis, Amico suo integerrimo, Iacobus Sluperius Herzelensis, Obsequium & Honorem.

SI te forte grauis vigilq; cura,
Et trux sollicitudo, chare Wynter,
Aut acres animi tui labores,
Vel graues nimis occupationes,
Cur[illegible]s Respublica te subire cogit,
Vexent, conficiant, præmant, molestent,
En isthunc oculis tuis videndum,
Grata suscipias manu terendum,
Quem nos conferimus tibi, libellum.
Quo mœstum recreare cor, graueq;
Possis ex animo fugare curas.
Nam viuos hominum videre vultus,
Et veras etiam sciisse vestes,
Quæ nunc per patulum probantur orbem
Humano generi placere, nostro
Ex isthoc dabitur tibi libello.
Nam vix natio degit vlla totum
Per hunc stelliferasub axe Mundum,
Cuius non fuerit colore viuo

Frontis effigies, & ipsa vestis
Hoc expressa libro. Videre nunquid
Europæ varios lubet colonos?

EVROPÆ POPVLI.

Hic omni vacuus labore cernes
Hispanos, Italos, Scotos, Britannos,
Zelandos, Batauos, Mosq; Flandros,
Germanos quoque, frigidosq; Moscos,
Et iunctos simul Hungaris Polonos,
Cantabros, Venetos, dehinc Lubecos,
Picardos etiam, dein Brabantos,
Bayonos, Pedemontios, virosq;
Orbis Liligeri solum colentes,
Nec non Heluetios, Seguſioſq;
Ac horum omnium simul maritas
Hic spectare dabit tibi libellus.

AFRICÆ POPVLI.

At ſi te Libyæ calentis ardor
Exurat cupidum, veliſq; ſcire,
Quos nunc Indigenæ gerant amictus,
Tellurem quibus Africæ colendam
Supremus tribuit Monarcha Diuûm,
Exiſt hoc etiam breui libello
Ad viuum poteris videre fictos
Primò Barbaricos viros, & horum

Barbaras quoque coniuges, ſuiq́z
Lugentem cineres viri maritam,
Maturas etiam viris puellas,
Quales iam Libycum manent per Orbem,
Ac demum Pharij per arua Nili,
Adiunctas proprijs viris maritas,
Cultoreſq́z ſacræ ſenes Heremi,
Ac Ægyptiacos graueſq́z myſtas,
Nec non Æthiopes, nigroſq́z Mauros
Hic cernes proprio colore pictos.

ASIÆ POPVLI.

Demum ſi cupias videre cultus,
Ac vultus hominum, quibus per vrbes,
Et pingues Aſiæ feracis agros
Eſt manſiſſe datum, libellus idem
Demonſtrare tibi paratus hic eſt.
Imprimis opibus manuq́z claros
Per quos Gangis agri coluntur, Indos:
Indorum quoque coniuges, viroſq́z,
Græcos coniugibus ſuis propinquos,
Nec non Arſacidas, truceſq́z Perſas,
Ignaros Latijs ſubeſſe ſceptris,
Horrendos quoque Tartaros, & ortu
Turcas patritio graues, & amplo
Turgentes habitu, dein virentes

Turcicas quoque virgines, & harum
Illustri tumidas parent matres,
Turcici quoque Nuntij figuram,
Lacquayum vocitant, quibusq; vixit
Pater Victorianus atque mater,
Postremò gladijs truces & arcu
Bellum Ianiseros ferum gerentes,
Turcarum auspicijs, & ære Regis,
Fœminas quoque coninges eorum,
Hinc gentes simul vtriusq; sexus,
Quæ campos Arabum colunt & vrbes,
Sabæasq; legunt per arua meßes,
Siluestres quoque fœminas, viroſq;
In siluestribus insulis morantes,
Ex monstris etiam sibi marinis
Pisces, vt Monachos, Episcoposq;
Cernes qui tumidum natant per æquor.
Incolas etiam Brasilianos,
Cyclopasq; feros, deinde rectis
Vadentes pedibus per arua Peru
Senios, sibi iunceam parantes
Vestem, qua pluuias niuesq; vitent.
Ex illo poteris videre libro.
Quem dextra capias velim benigna,
Ac vultu placido legas, & æqui

Hæc munuſcula conſulæs, bonaq́.
At Bergenſis agri pium Senatum
Quem tu conſilio, manuq́ docta
Noctes atque dies iuuare pergis,
Quò ſit terriculum malis, & vſque
Omni præſidium bono, rogatus
Noſtro nomine plurimum ſalutes,
Cui me municipem, piumq́ ſeruum
Toto pectore dedico per æuum.
Cæptis interea tuis, piiſq́
Ex Alto ſtudijs negotijſq́,
Aſpiret Superûm Monarcha Diuûm,
Qui te Neſtoreos ſinat per annos
Ob Bergenſe bonum, viros & agros
Dulci conſilio iuuare, verùm
His iam dextra modum dabit Phaleucis,
Ne fors te nimium grauent: Valebis.

1571. Prid. Cal. Iulij. Ex Weſtuletera Territorij Furnenſis.

¶ INDEX ALPHABETICVS Gentium & Nationum, quorum Effigies & Habitus hocce libello referuntur.

A.

1	Ægyptius	folio	17
2	Ægyptia mulier		18
3	Ægyptius heremita		19
4	Ægyptius ſacerdos		20
5	Æthiops		21
6	Æthiopiſſa		[illegible]
7	Afer		23
8	Afra mulier		24
9	Afra vidua		25
10	Afra puella		26
11	Angla mulier		27
12	Arabs		28
13	Arabs mulier		29
14	Aſiana mulier		30

B.

15	Baionenſis mulier		31
16	Baionēſis mulier tēplū adiēs		32
17	Baionenſis luctus		33

18 Brabanta mulier 34
19 Brabantiæ veſtis lugubris 35
20 Braſilianus 36
21 Braſiliana mulier 37
22 Breſſana ruſtica 38

C.

23 Canonicus Pariſijs templum adiens 39
24 Cantaber 40
25 Cantabra mulier 41
26 Carthuſianus 42
27 Compoſtellana mulier 43
28 Cyclops 44

D.

29 Delubecus 45
30 Delubeca mulier 46
31 Doctor theologus Pariſienſis 47

E.

32 Epiſcopus marinus 48

F.

33 Flander 49

34	Flandra mulier	50
35	Flandra heroina	51
36	Flandrenſis puella	52

G.

37	Gallus eques	53
38	Gallus nobilis	54
39	Gallus aulicus	55
40	Galla heroina	56
41	Galla ſponſa	57
42	Gallus ciuis Pariſienſis	58
43	Galla mulier ciuis Pariſienſis	59
44	Gallus ciuis ætate grauis	60
45	Gallicus Præſes Parlamenti Pariſienſis	61
46	Gallica veſtis lugubris	62
47	Galliæ heroinarum veſtis lugubris	63
48	Galliæ veſtis lugubris ruſtica	64
49	Gallus opifex	65
50	Gallus miles	66
51	Gallus curſor	67

52 Gallus agricola 68
53 Galla rustica 69
54 Gallus rusticus Campanus 70
55 Gallus rusticus ætate grauis 71
56 Germanus ciuis 72
57 Germana mulier 73
58 Germana mulier 74
59 Germana puella 75
60 Germanus miles 76
61 Germani militis vxor 77
62 Græcus 78
63 Græca mulier 79
64 Græcus Turcæ inseruiens 80

H.

65 Heluetius 81
66 Heluetia mulier 82
67 Heluetius nobilis 83
68 Heluetia heroina 84
69 Hispanus 85

70	Hiſpana mulier	86
71	Hiſpana mulier tonſa	87
72	Hiſpana ruſtica	88
73	Hiſpana ruſtica	89
74	Hollanda mulier	90
75	Hollanda puella	91
76	Hungarus	92
77	Hungara mulier	93
78	Hungara ruſtica	94

I.

79	Ianiſſarus miles	95
80	Ianiſſari militis vxor	96
81	Indus	97
82	Inda mulier	98
83	Itala mulier	99

L.

84	Lugdunenſis mulier	100
85	Luſitanus	101
86	Luſitana mulier	102
87	Luſitana ruſtica	103

M.

88	Monachus	104
89	Monachus marinus	105
90	Moſcus	106
91	Moſca fœmina	107
92	Mulier ſylueſtris	108

N.

93	Nictorianus	109
94	Nictoriana mulier	110

P.

95	Pedemontanus	111
96	Pedemontana mulier	112
97	Perſa	113
98	Perſa mulier	114
99	Picarda mulier	115
100	Pompeiopolitana mulier	116
101	Polonus	117
102	Prior	118
103	Prouenſalis	119

R.

104	Romana mulier	119
105	Ronceuallensis mulier	120

S.

106	Simia erecta	121
107	Scotus	122
108	Scota mulier	123
109	Scota mulier siluestris	124
110	Scotorum siluestrium præfectus	125

T.

111	Tartarus	126
112	Toletana mulier	127
113	Turcus	128
114	Turcica heroina	129
115	Turcica puella	130
116	Turcicus cursor	131

V.

117 Venetus 132
118 Vir siluestris 133

Z.

119 Zelandus 134
120 Zelanda mulier 135

FINIS INDICIS.

16

Ægyptius.

Sic per Niliaci fluminis accolas
Longis videndus it comis Ægyptius,
Sic priscis legitur semper amictibus,
Nouoq́; nunquam suspicit pro pristinis,
Seu terras Asiæ, seu Libyca petat,
Seu nostra visens ambulet per oppida.

I.
l'Egyptien.

Pour bien cognoistre vn vray Egyptien
Auec les longs cheueux qu'il porte
En retenant son habit ancien
Il est au vif pourtrait en ceste sorte.



B

2.

Aegyptia Mulier.

Egressas Pharijs e regionibus
Vbique cernes progredi sic fœminas.
Vestimenta sciunt nec noua pristinis
Mutare, verùm semper his in cultibus
Gaudent perpetuo tempore congredi,
Quascunq; gentes hunc per orbem visitẽt.

II.

L'Egyptienne.

Il est certain qu'ainsi l'Egyptienne
Iusqu'au iourd'huy porte son vestemẽt.
Telle a esté sa coustume ancienne
Cõme vostre œil le void presentement.



3.

Ægyptius Heremita.

TAliter incedit desertæ cultor Heremi,
Vstaq; continuis solibus arua terit.
Ac virides coctis miscet radicibus herbas,
Hasq; putat lautas, Ambrosiásq; dapes.
Mitigat vnda sitim Nili de flumine sumpta,
Æquore qua roseo littora tincta rubent.
Quáq; Pharus tepidos à longe prospicit Austros
Quáq; Arabum populi thura Sabæa legunt.

III.

l'Hermite d'Egypte.

Ainsy se veste l'Egyptien Hermite,
Qui du commun cy se rend estranger,
Mangeant racine, faisant la chatemite,
s'il trouuoit mieux, il n'en voudroit mãger.



4.

Aegyptius Sacerdos.

En Ægyptius & grauis Sacerdos,
Prolixam gerit hic fouctą barbam,
Ingentiq́ caput tegit galero.
Et ſi forte roges quid ille cultus
Signet? barba grauem, virumq́ monſtrat.
Arceturq́ furens calor galero.

IIII.

Le Preſtre d'Egypte.

Ce long chapeau, la longue barbe auſsi,
L'Egiptien Preſtre nous repreſente.
Qui du vray Dieu, n'a pas tant de ſoucy,
Que de ſes dõs, qu'au tẽple on luy p̃ſente.



5.

Æthiops.

En hic Æthiopem vides colonum,
Cuius membra leues gerunt amictus,
Quæ sol nigra facit nimis calescens.
Est simis quoque naribus, tumensq́
Carnosis labijs: nigriq́ totum
Crispantesq́ caput tegunt capilli.

V.
Le More, ou Morien.

Le More se vest ainsi legerement,
Pour la chaleur du pays qu'il endure,
Le nez camus il ha semblablement:
Son poil frison, sa leure espesse & dure.



6.

Aethiopissa.

Æthiops similis viro marita est,
Simis naribus, & colore nigro.
Huius veste leui teguntur artus,
Ob solis radios nimis propinquos.

VI.

La Moresque, ou Morienne.

Au More noir la Moresque ressemble,
Son habit est leger pour la chaleur,
L'hõe & la fẽme accordẽt biẽ ensemble
Tous deux camuz & de noire couleur.



7.

Afer, vel Barbarus.

Stupenda quamuis hæc putetur res tibi,
Tamen putatur esse quàm verisima.
Sic nam morantes Barbaris in vrbibus,
Leui lacerna vestiuntur Barbari,
Quò sint cruentis aptiores prælijs.
Pax nanque sæuis non probatur Barbaris.
Tristes enim sunt vt lupi bidentibus.
Sic alma sæuis pax timetur Barbaris.

VII.

Le Barbare.

Les Barbares ont le vestemẽt semblable
Comme tu voids, cela est tout notoire,
Quoy que te soit cest habit admirable,
La verité te contraint de le croire.



8.

Afra Mulier.

Miranda nunquid hæc putatur fœmina,
Totum ferinis quæ videtur pellibus
Ornare corpus? est ne mos hic Barbaris
Per arua forsan Africana fœminis,
Festos celebrant cùm dies, vel publica
Adire quando præparant spectacula?

VIII.
La Barbare.

Quand la Barbare en ses habitz pl⁹ beaux
Veut demonstrer sa grande magnificence,
Fourrée ainsi elle est de belles peaux,
Que ce pourtrait le met en apparence.



9.

Afra Vidua.

Submœstam nihil est quod hic figuram
Mireris, quia sic dolore plena
Ob mortem proprij grauem mariti
Luget, per Libyæ calentis arua
Ex Afro mulier parente nata.
Has vestes etiam gerit sequendo
Coniugis g.lidum sui cadauer,
Quod terræ sinubus cupit recondi.

IX.
La Vefue d'Afrique.

Quand l'Africaine a perdu ſon mary,
Eſtant par mort ſerré dans le cercueil:
Tel veſtement elle porte par dueil,
En demõſtrant qu'elle a le cueur marry.



10.

Afra puella.

Hunc habitũ longo coluerũt tẽpore, quotquot
Agunt puellæ virgines per Africam.
Nã vetus atq; decẽs & honeſtus habetur eiſdẽ,
Dextro catellam dum ferunt ſub brachio,
Dũq; tegũt humeros, geminaſq; ſubinde papillas
Plena ferinis pellibus lacernula.

X.

La fille d'Afrique.

Par ce pourtrait qui eſt aſſez antique,
Vous pouez veoir vne fille d'Afrique,
Qui pour parure a ſon petit mauteau,
Eſtant fourré d'une exquiſe peau.



11.

Angla Mulier.

Si quis vireta vidit haud Britannica,
Sed nec per vrbes ambulauit Anglicas,
Voletq; scire quos amictus gestitent
Per ciuitates fœminæ Britannicas:
Hanc ille pictam cernat hîc imaginem;
Sic nempe vadunt fœminæ per Angliam.
En vt decoræ membra vestes ambiunt?
Caputq; pulchris vt nitet sub pellibus?

XI.
l'Angloise.

Ainsi vestue est vne femme Angloise,
Par le dessus son bonnet est fourré,
On la cognoist (bien qu'aux lieux on ne voise)
Facilement a son bonnet carré.



12.

Arabs.

Incolæ priſcis Arabes diebus
Dextera fortes, opibuſq́ clari
Læta fœlicis patriæ per arua
Thura legebant.

Quæq́ tunc ipſis ibi nuda veſtes
Membra velabant, ſimiles ad iſtud
Seculum fermè remanent, vt iſthæc
Monſtrat imago.

XII.
l'Arabien.

En Arabie eſt d'encens abondance,
Arabiens iadis riches eſtoyent,
Et ce pourtraict vous met en euidence
Le propre habit qu'ils portẽt & portoiẽt.



13.

Arabs Mulier.

Num tuis iſtanc oculis figuram
Cernis, & quali niteat decore,
Quiq́ ſit frontis lepor, & venuſtas
Qualis in ore?

Sic odoratas Arabum per vrbes
Fœminæ claro gradiuntur ortu,
Templa ſeu diuûm ſubeant, vel amplas
Principis arces.

XIII.
l'Arabienne.

Si veux de femme auoir la cognoiſſance,
Qui d'Arabie a pris natiuité
Ceſte figure te met en euidence,
L'habit qui eſt par les femmes porté.



14.

Asiana Mulier.

Vnde mihi tantæ grauitatis imago coruſcat?
Cãput venuſto quàm nitet velamine?
Vt demiſſa placet veſtis, geſtuſq́ graduſq́?
An vna ſacris ex Dearum cœtibus?
An mage fœcundis Aſiæ florentis ab oris
Vna beatis venit huc è fœminis?
Cõptior in Veneta num fœmina viſitur vrbe?
Licet decoris hæc abundet fœminis.

XIIII.
La femme d'Asie.

Regardez bien comme les Aſiennes
Sont habillées & coiffées en bon ordre,
Ie ſuis certain que les Venetiennes
Ny pourroyẽt pas ſur ce trouuer a mor-
(dre.



15.

Baionenſis Mulier.

En tibi Baionæ mulier regionis alumna,
Ornatur iſtis cultibus per Galliam,
Aurifero quà regna Tago fœcunda petuntur,
Gentem vetuſtas hanc vocat Tarbellicam.
Eſt animo ſimplex, nec torto pectore fallax,
Semperq́ cultu ſe vetuſto contegit.

XV.

La femme de Bayonne.

La Bayonnoyſe, & ſon accouſtrement
On peut icy contempler en figure,
De ceſt habit ne change aucunement,
Et ſimple elle eſt de ſa propre nature.



16.

Baionẽsis mulier templum adiens.

Sic eadem mulier velatur amictibus istis,
Ad sacra Diuûm quando pergit limina.
Sicq; pijs superos votis, precibusq; fatigat,
Sacrisq; factis sic refert sese domum,
Tota Deo, rebusq; pijs iam plena, sacrisq;
Refecta mensis, atque Diuûm ferculis.

XVI.

La femme de Baionne allant a la Messe.

La femme ainsi en Baionne a vesture
Oyant la Messe en grand deuotion,
Puis s'en reuiend auec ceste parure
Toute endormie de contemplation.




17.

Baionensis luctus.

Aſt vbi defunctos hæc deflet moeſta parentes,
Aut fors amicos, mortuumq́ coniugem,
Multis cum lachrymis iſtos aſſumit amictus,
Seſeq́ multis macerat doloribus,
Sicut in exigua monſtratur imagine, cuius
Hæc intueri charta formam dat tibi.

XVII.
Le dueil de Bayonne.

Quand il aduient que Bayonnoiſe porte
L'habit de dueil, pour mary ou parent,
Elle eſt touſiours veſtue en ceſte ſorte,
Comme voyez au pourtrait apparent.



18.

Brabanta Mulier.

Fertilis, & latis ſpatioſa Brabantia campis
Iucundos alit, ac germinat incolas,
At qui diuitijs ciuilibus eſſe beati
Cenſentur, genus hîc nobile tranſeo,
Hoc habitu cultas gaudentq́, videtq́ per vrbẽ
Ac per templa ſuas pergere coniuges.

XVIII.
La Brebanſonne.

La Brebanſonne eſt icy compaſſée,
Par ce pourtrait au naif compoſé
Son veſtement à la queue troſſée
Et ſa coiffiere eſt de linge empeſé.




19.

Brabantiæ veſtis lugubris.

Si qua Brabantinas mulier generoſa per vrbes,
Vel quæ diuitijs pollet, & auro,
Affines, propriumue virum, proprioſue parẽtes
Immiti doleat morte peremptos,
Illius hæc clamidis, Rouſalliam Flandria dicit,
Multo cum gemitu ſumit amictum.

XIX.
Le dueil en Brabant.

En Flandre ont les femmes apris
Faire dueil en commun vſage,
Ainſi qu'au vif nous les voyons compris
Par le pourtraict de la preſente image.



20.

Brasilianus.

Si varios lubeat Bresilianos
Agnouisse, breuem vide figuram,
Sic enim patrijs agunt in aruis,
Hæc & tela ferunt, & arma, per quæ
Nudatos sibi muniunt lacertos,
Si quando properent suos ad hostes.
Sic & ligna secant Brasilicana,
Illuc ad varios vehenda gentes.

XX.
Le Bresilien.

L'homme du lieu auquel le Bresil croist,
Est tel qu'icy, a l'oeil il apparoist,
Leur naturel exercice s'applique
Couper Bresil, pour en faire trafique.



21.

Braſiliana Mulier.

Braſilianas ſi videre fœminas
Deſideres, hanc tu figuram ſuſpice,
Sic namque vicos per paternos ambulant,
Nec nuda velant, vel parumper corpora.
Ad curua paſſim congregant per littora
Nautis emendos Chriſtianis pſittacos.

XXI.
La Breſilienne.

Les femmes là, ſont veſtues ainſi
Que ce pourtraict le mõſtre & repreſente,
La des Guenons, & Perroquetz auſsi,
Aux eſtrangiers elles mettent en vente.



22.

Bressana rustica.

Quæ campos habitat Segusianos,
Campos fructibus atque fruge dites
Lugduni mulier propinqua terris
Hoc artus teneros suos amictu,
Sit vilis licet, & breuis, sed amplo
Ipsum Bressa caput tegit galero,
Ob solis rapidos furentis æstus,
Quos gentes iacit in Segusianas.

XXII.
La rustique de Bresse.

Si n'as esté en la Bresse iamais,
(Par ce pourtrait naturel & antique)
Tu pourras bien cognoistre desormais,
Le vray habit d'une Bresse rustique.



23.

Canonicus Parisijs tẽplum adiens.

Nomen sacer cui dat Canon,
In his Sacerdos vestibus
Fusurus ad Deum preces
Sacrata scandit limina,
Munitq́, tergum pellibus
Cum ningit, & cum grandinat.
Pelles an istæ sordeant
Cum ningit, & cum grandinat?

XXIII.
Le Chanoyne.

Quād le Chanoine veut aller au Mōstier
Pour assister à son diuin seruice,
De tel habit il se vest volontier,
Qui en yuer luy est chault & propice.



24.

Cantaber.

Hunc habitum facilem consuetus viuere paruo
Agens per agros rusticus fert Cantaber.
Nec rutulos cultus, nec mutatoria quærit,
Vt hæc beata gens facit per oppida:
Sed fatus ad cædes, & atrocia prælia, laudat
Hastas, & enses, æreasq; cassides.

XXIIII.
Le Bisquin.

Voy du Bisquin le simple habillement,
Plus content est auecques sa souffrance,
Qu'aucun vestu de riche habillement
Que l'on peut voir par le pais de France.



25.

Cantabra Mulier.

Fœmina Cãtabricas ita conſpicẽda per vrbes
Vadit, ſuumq́ tondit ipſa verticem.
Hoccine miraris? mos eſt tondere capillos
Cunctis per arua Cantabrorum fœminis:
Hoc etenim faciunt ſecura mente, quod ipſis
Brumæ timenda non putentur frigora.

XXV.

La Biſquine.

Ceſte veſture eſt bien peu entendue,
La Biſquine eſt depainte en ceſt endroit
Par ſa couſtume elle eſt ainſi tondue,
En demõſtrãt qu'elle ne craĩt pas le froid.



26.

Carthusianus.

Quid figura signet istæc, forte si rogaueris,
Verus hac tibi Sacerdos pingitur Carthusius,
Abdicatus hoc ab orbe, iamq; sacris deditus:
Carniumq; spernit escā, vesciturq; piscibus,
Ac pia subit perennem mente pœnitentiam,
Vt rebelle corpus acri frænet abstinentia.

XXVI.
Le Chartreux.

Voicy l'habit pourtrait au naturel
Dont est vestu le Chartreux solitaire,
Qui a acquis de grand bien temporel
De noz parens, dont ilz se conuient taire.



27.

Compoſtellana Mulier.

Nobilis Hiſpanas eſt Compoſtella per vrbes,
Pulchris abundans fœminis,
Quæ ſcu tẽpla petant, fora ſeu verboſa, vel agros,
Semper galerum geſtitant.
Nec prodire foras, nec quoquam pergere tentãt,
Ni ſe galero muniant.

XXVII.
La femme de Compoſtelle.

Femme qui eſt du lieu de Compoſtelle,
Ne va iamais ſans porter ſon chapeau,
Et ſon habit eſt d'une façon telle,
Ie ne ſçay pas s'il vous ſemblera beau.



28.

Cyclops.

Huc vertas oculos amice Lector,
Si te vera iuuat videre monstra.
Sic olim Polyphemus ille Cyclops
Ætnæis habitauit in cauernis,
Et centum similes ei Gigantes,
Troiano remeans ab orbe quando
Aduentauit eò sagax Vlysses:
Si non vana sacri canunt Poetæ.

XXVIII.
Le Ciclope.

De Polipheme, & de Ciclopiens
Font mention Poetes anciens:
On dit encor que ce lignage dure
Auec vn oeil selon ceste figure.



29.

Delubccus.

Hic prædis inhians per atra bella
Augmentat ſpolijs opes Lubecus.
Hinc viles amat, & rudes amictus,
Ac paruam gerit, & breuem lacernam
Commodam ſtudijs ſuis, fugitq;
Infectas Irio cruore veſtes.

XXIX.
Le Delubic.

Le Delubic naturel à la proye,
Se veſte & chauſſe en ceſte mode cy,
Ce n'eſt point luy qui encherit la ſoye,
D'habit mondain ia n'eſt en grãd ſoucy.



30.

Delubeca Mulier.

Hos vulgo mulier Lubeca cultus
Defert, hæc preciosa nempe spernit
Vestimenta, graui suumq; cura
Æuum transigit, & labore duro
Ob victum tenuem, rudesq; vestes
Fessos macerat atque vexat artus.

XXX.

La Delubicque.

La Delubicque n'est pas trop amoureuse
De beaux habitz, cõme bien on peut voir
Par ce pourtraict: mais plustost curieuse
De viure auoir, dont elle fait deuoir.



31.

Doctor Theologus Parisiensis.

En grauis, & sacro venerandus Doctor amictu,
Ac veræ fidei tutor & anchora,
Diuinumq; sonans veluti sacra buccina, verbũ,
Mortales nitidum mandat ad æthera,
Vt puros flectant oculos, & inania, vanus
Quotquot Mundus habet, gaudia respuant.
At licet hæc iubeat syncero pectore Doctor,
Raros hinc videas credere qui velint.

XXXI.
Le Docteur.

Voicy l'habit que porte le Docteur
Faisant le graue, ainsi qu'il est notoire,
Luy se riant de la foy protecteur,
D'ou viẽt cela qu'on ne le veut pl⁹ croire.



32.

Episcopus marinus.

Miranda vastus monstra pontus continet,
Quæ si referre quis velit per symbola
Vt vera, nunquid ille nugiuendulus
Narrare veras crederetur fabulas?
Sed hanc pusillam non queas imaginem
Quæ sic in istac pagina describitur
Negare veram. Non vides Episcopum
Mitra stupendum, qui marinus piscis est?

XXXII.
l'Eueſque de Mer.

La terre n'a Eueſques ſeulement,
Qui ſõt p bulle en grãd hõneur & tiltre,
L'eueſque croiſt en mer ſemblablement,
Ne parlãt point, cõbien qu'il porte mitre.



33.

Flander.

Scire cupis quali Flander procedat amictu,
Templa per & plateas?
Hæc toga quæ breuis est, vt honesta ꝓbatur eide,
Hæc vt imago docet.
Seria cùm loquatur, dexteram leuat, inde sinistrã
Deprimit, atque terit.
Scire petis vitam? bonus est & largus egenis,
In superosq; pius.

XXXIII.
Le Flamend.

Si du Flamend veux sçauoir la vesture,
Sa courte robe, & sa maniere ausi
Tu le verras par ceste pourtraiture
Changer d'habit ce n'est point son soucy.



34.

Flandra Mulier.

Incola hîc graditur Mulier per Flandrica rura,
Et ciuitates sic peragrat Flandricas.
Pulcher huic niueo decoratur tegmine vertex,
Artusq; vestis ornat apta cæteros.

XXXIIII.
La Flamende.

Au vif tirée est ceste pourtraiture
D'une Flamende ainsi expressement,
Si sur les lieux vous n'allez: sa vesture
Est peincte icy laborieusement.



35.

Flandra heroina.

Oppida noluerit si Flandrica visere quisquam,
Hic istam poterit videre formam:
Qua sciat & vestes, & honestos cernat amictus,
Multùm fœmineo gregi placentes,
Sed qui vel fuerit generoso stemmate clarus,
Aut quem iam faciunt opes beatum.

XXXV.
La Damoiselle flamende.

Pour ce pourtrait vo⁹ faire mieux entẽdre.
Si vous n'allez voir le pais de Flandre
Asseurez vous que nobles Damoiselles
En ce lieu là, portent vestures telles.



36.

Flandrensis puella.

Ecce tibi pictæ tenui sub imaginis vmbra
Insignem facie vides puellam,
Formosamq; comis, æuoq; viren te decoram,
Quales Flandria nostra fert frequentes.
At si quis nolit vel pictis credere formis,
Aut his carminibus libelluliſq;,
Oppida Flandra petat, Gandēsia mœnia primò,
Hinc Hypras adeat, deinde Brugas.

XXXVI.
La fille Flamende.

Qui fille belle & freche voir demande,
Et habillée en habit vsité,
Doit contempler ceſte fille Flamende,
En ceſt habit viuement limité.



37.

Gallus Eques.

Ecquis micanti torque tantùm fulgurat,
Vestemq; largo purpurascit murice?
Clarùsne Gallos floret inter Regulos
Graui verendos ore, gestu moribus?
Dextrisq; fortes, atque factis inclytos?
Quos in supremum Rex benignus ordinem
Allegit, vt sint hi parentes patriæ,
Secumq; gentes vt gubernent Gallicas?

XXXVII.
Le Cheualier.

Quand vous verrez vn si riche Collier
Porter à l'hõme, ou blame ne se peut mor
Pẽsez q̃ c'est vn Cheualier de l'ordre, (dre
Ayant du Roy vn don tant singulier.



38.

Gallus Nobilis.

Sic vir patricio ſanguine nobilis
Gallus liligeris vadit in vrbibus
Demiſſæ clamidis tectus amictibus,
At ſummo gerit in vertice pileum,
Ac firmum gladio cingitur huic latus,
Inſtar belligeri militis, hic tamen
Claris digna facit progenitoribus,
Virtutemq́ colit firmiter & decus.

XXXVIII.
Le Gentilhomme François.

Il eſt certain que le braue François,
A la Reiſtre, il s'eſt du tout veſtu,
Si en habit mobile tu le voys,
Il eſt conſtant en parolle & vertu.



39.

Gallus Aulicus.

Pictam decorè num vides imaginem?
Tali iuuentus veſte gaudet Francica
Cenſu tumeſcens, ac auito ſanguine,
Quæ celſa Franci tecta Regis iam colit,
In qua triumphant Nobiles domeſtici
Lingua ſuaues, Aulicisq; moribus,
Docti potentum complacere fœminis,
Aulam per ipſas quæ ſequuntur Gallias.

XXXIX.
Le Courtiſan.

Le Courtiſan françois au tẽps qui court
Eſt braue ainſi qu'en voyez la figure,
A mainte Dame il ſçait faire la Court,
Car d'eloquence il entend la meſure.



40.

Galla Heroina.

Quæ Dea? nũ Pallas? nũ Iuno? nũ Venus ipſa?
An magis hæc Charitũ de grege quarta nitet?
Francica nũ patrias ita pergere virgo p vrbes
Sanguine patricij ſtemmatis orta ſolet?
Vt facies, oculiq; placent? proh, quãta venuſtas?
Num videt aſtrifero Phoebus ab axe parem?

XL.

La Damoiſelle Françoiſe.

Telles on voit Françoyſes Damoyſelles,
En leurs maintien gracieuſes & belles,
Leur entretien a tous eſt agreable,
Et pleines ſont de grace incomparable.



41.

Galla Sponsa.

Gallica francigenas graditur sic spõsa per vrbes
Deq; sacra festas sic petit æde dapes
Gaudet & exultat, quia nubit læta marito,
Cuius in optatos mox sit itura sinus.

XLI.
l'Espouse de France.

L'espousée est coiffée, aussi vestue
Comme voyez, quant elle prent mary,
A demonstrer sa beauté s'esuertue,
En ce iour là, n'ayant le coeur marry.



42.

Gallus ciuis Parisiensis.

Ista tuum verè populosa Lutetia ciuem
Cernere luminibus præbet imago meis,
Qui licet vrbanis incedat amictibus, idem
Grandia mutandis mercibus æra parat.
Gnarus & eloquio, verbisq; suauibus vti.
Naturæ donis ingenijq; viget.

XLII.
Le Bourgeois de Paris.

Tu peux voir cy le vray Parisien,
Sa mode honeste estant en sa vesture,
Son parler est subtil, & a moyen
De trafiquer, c'est la propre nature.



43.

Galla mulier ciuis Parisiensis.

En per Parrisios diebus istis
Coniunx vrbicolæ verenda ciuis
Istum progreditur gerens amictum,
Qui, quamuis precio leui paretur,
Est purus tamen hic, nitensq́, & vsque
Valde fœmineas decens phalanges.

XLIII.
La Bourgeoise de Paris.

Fẽme on ne voit plꝰ belle, & plꝰ courtoise
Se monstrant chaste auec son vestement,
Que dãs Paris, ou est mainte bourgeoise
Telle qu'elle est painte icy viuement.



44.

Gallus ciuis ætate grauis.

Multi liligeræ per arua gentis
Ciues huic similes seni videntur,
Antiqui, quibus hi placent amictus,
Constanterq́, noui, leuesq́, sordent,
At non illa tibi decora vestis,
Et quæ conueniat seni, videtur?

XLIIII.
Le viel Bourgeois François.

Si tu veux voir le vieil Bourgeois de Frãce
Le sien habit, son port & grauité
Ce pourtrait cy, t'en fait la demonstrance
Peu curieux est de nouelleté.



45.

Gallicus Præses Parisiensis.

Hic grauis & simplex, fastuq; remotus ab omni,
Præsidis est habitus, Curia summa, tui.
Quē tibi p̄posuit Rex Frācus, vt æqua ministrās
Ius det pauperibus, diuitibusq; suum:
Vtq; patrocinijs oppressos subleuet, & sit
Terriculum prauis, præsidiumq; bonis.

XLV.
Le Presidant.

Voy ceſt habit, ſans pompe, ni exces,
C'eſt la veſture des graues Preſidens:
Qui ſont commis à iuger les Proces,
De par le Roy en ſa Cour reſidens.




46.

Gallica vestis lugubris.

Hæc atrata nigro colore vestis,
Nil lætum patitur, nihilq; faustum,
Sed vult tristia, luctibusq; gaudet,
Ac poscit gemitus graues, & ægris
Sacratur lachrymis, doloribusq;:
Cùm vel frater abit, sororiue, vel cùm
Materni cineres, vel ossa patris
In terræ gremio volunt recondi.

XLVI.
Le dueil de France.

Voicy l'habit accoustumé au dueil,
Noir de couleur, cõme sont les tenebres,
Quãd par souspirs, auecqs larmes d'oeil,
Pour les deffũctz on fait põpes funebres.



47.

Galliæ Heroinarũ veſtis lugubris.

Si quæ patricio ſtemmate fulgeat,
His ſeſe mulier velat amictibus,
Quando Francigenis luget in vrbibus,
Pro raptis miſera morte ſororibus,
Seu cùm fata gemit fratris atrocia,
Aut matris cineres, funera vel patris.
Et cùm falſa cito gaudia tranſuolent,
Hic longis animum luctibus aggrauat.

XLVII.
La Damoiſelle en dueil.

En France ainſi ſe veſt la Damoiſelle,
Pour ſes parens en ſepulture mis:
Et fait ſon dueil par vn naturel zele,
Quand elle ha fait perte de ſes amis.



48.

Galliæ vestis lugubris rustica.

Rustica lugubri mulier se vadit amictu,
Cùm fert mœsta suî funera coniugis.
Eiulat, ac queritur, lachrymisq; madescit amaris
Si cernam, lachrymas mox ego funderem.

XLVIII.
Le dueil de Villaige.

Voila comme se vest la Villageoise,
Portant le dueil en ceste accoustrement:
Et en plourãt font si grand bruit & noise,
Que les estranges en plourent largement.



49.

Gallus opifex.

Ist hanc artifici manu paratam
Festiuis clamidem gerit diebus
Gaudens continuo labore Francus,
Quò victu pariat sibi, malamq́
Vitet desidiam, quod inde nasci
Sueuit nequitiæ parens egestas.

XLIX.
l'Artisan François.

C'est l'Artisan vestu de bonne cappe,
Aimãt labeur, afin qu'il s'en nourrisse.
Oisiuete par trauail il eschappe,
Pource que c'est de to⁹ maux la nourrice.



50.

Gallus Miles.

Hìc tibi ſæua patent furibundi militis ora,
Qui ſub liligero prælia Rege facit,
Ac perſæpe loco numerandi debitor æuis,
Quando ſuas luxu dilapidauit opes,
Aut proprios vana ſocios ſpe ludit, atróxue
Infert hoſpitibus verbera dura ſuis.

L.

Le Soldat François.

Le vray ſoldat François icy ſe monſtre,
Preſt pour cõbattre, ou pour faire braua-
Mais quelq̃s fois il remet a la mõſtre (des
Son hoſte, ou biẽ le paye en baſtõnades.



51.

Gallus Cursor.

En celer hic pedibus, Zephyros superatis & Euros
Nuntius, at nummis tempus in omne caret.
Hinc fit, hospitibus si danda pecunia desit,
Præbeat in celerem terga videnda fugam.

LI.
Le Lacquais François.

Voi ce Lacquais leger comme le vent.
Pour bien courir il n'a la couleur fade,
Argent en bourſſe il n'a le plus ſouuent,
Parquoy ſon hoſteeſt payé en gãbade.



52.

Gallus Agricola.

En hic dulce viri colentis aruum
Eſt expreſſa ſuis imago formis,
Qui fruges ſerit, amputatq́ meſſes,
Ac fructus legit, arboreſq́ plantat,
Et duro manuum labore paſcit
Multos, qui nihil, aut parum laborant.

LII.

Le Laboureur François.

Le laboureur a touſiours ſon courage
De trauailler au monde terrien,
Il n'eſt oiſif, mais de ſon labourage
Souuẽt nourry ſont ceux qui ne font riẽ.



53.

Galla Ruſtica.

Iſthæc effigies, amice Lector,
Dat, queis ſit mulier modis amicta,
Quæ cum Francigenis agit colonis,
Et cùm diuitijs ſuis onuſta
Tecto digreditur, forumq́ viſit,
Quò fuluis tumeat crumena nummis.

LIII.
La Ruſtique Françoiſe.

Regardez bien, Lecteur, la contenance
De ceſte femme, en ce pourtrait antique.
Touſiours ainſi lon void parmi la Fráce
Eſtre veſtue vne femme ruſtique.



54.

Gallus Rusticus Campanus.

En tibi Campanum per Francica rura colonum,
Hæc offert oculis tuis imago,
Qui cùm diuitijs Campani ruris ad vrbem
Ex agris properat, forumq́, quærit,
Lætus vt innocuis ex mercibus auferat aurum,
Ac plenis redeat domum crumenis.

LIIII.
Le Rustique Champenois.

S'il est ainsi que rien tu ne cognois,
En ceste forme & figure presente:
Voicy le vray habit d'un Champenois,
Qui a tes yeux viuement se presente.



55.

Gallus Rusticus ætate grauis.

Multis iste Senex grauatus annis,
Qui per chara sui vireta patris
Totum iam placidè peregit æuum,
Hoc contentus agit nitens amictu,
Nec cultus alios, nouosq; quærit
Externo sibi more sarciendos:
Sed pinguem magis aucupatur offam,
Et mollis placidam thori quietem.

LV.
Le viel Pere de Village.

Ce viel patron & Pere de Village,
N'est pas enclin de les habitz changer,
Mieux aimeroit auoir de gras potage,
Et son lit fait, pour mollement coucher.



56.

Germanus Ciuis.

Ecce ſuperna virosgenitrix Germania paſſim
Fœcunda ciues educat, quàm plurimos:
Qui ſe dum proprijs verſantur in vrbibus, oẽs
His, more priſco, veſtiunt amictibus.
Non etenim mores leuiter mutare vetuſtos,
Germanus vnquam conſueuit incola.
Hinc fit, vt antiqui maneant per ſecula cultus,
Sed mos propinquis ſordet iſte gentibus.

LVI.
Le Bourgeois Allemand.

De ceſt habit voyez l'inuention,
C'eſt du Bourgeois Allemand la veſture:
Qui, comme aucuns, n'en fait mutation,
Diuerſité aimans de leur nature.



57.

Germana Mulier.

Hunc habitum mulier Germani filia patris,
Gaudet ſupernam ferre per Germaniam.
Hæc etenim veſtis ferme communis habetur
Cunctis Supernæ fœminis Germaniæ.
Nõ etenim cupidæ nouitatis habẽtur, vt vrbes
Exiſtimantur fœminæ per Flandricas:
Vtq́ Brabantino cenſentur in orbe, vel oras
Vt iam videntur fœminæ per Gallicas.

LVII.
l'Allemande.

L'habit eſt tel de la femme Alemande:
Et point ne chãge, ainſi que nous, ſouuẽt.
Car le Frãçois nouueaux habitz demãde,
En le muant ainſi comme le vent.



58.

Germana Mulier.

